



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 142. Nomine alienationis quæ veniant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

Quest. 142. *Nomine alienationis que veniant?*

Resp. Nomen quoque alienationis ob favorem locorum sacrorum, religiosorum & piorum non sumitur strictè juxta *l. alienatum. ff. de V. S.* pro actu duntaxat, quo dominium directum transfertur, qualis est venditio, donatio, permutatio. Sed largè juxta *l. fin. C. de reb. alienand.* pro ut complectitur omnem actum seu dispositionem, quæ dominium sive directum, sive utile tantum, vel jus in re aut ad rem transfertur. Arg. *c. nulli. h. t. Gl. ibidem v. alienationis.* & Abb. *num. 13. Redoan. de reb. eccl. alienand. rub. 1. c. 47. num. 14. Azor. p. 2. l. 9. c. 1. q. 2. Pirh. h. t. num. 1. Delb. c. 17. du. 3. num. 1.* Talis alienatio minùs propriè accepta sunt datio bonorum seu rerum ecclesiasticarum in feudum, in emphyteusim, locatio, contractus superficiarius & libellarius, constitutio ususfructus, servitutis, census, hypothecatio transactio, translatio, cessio litis, juris, unio, compromissio, precarium, conditio, repudiatio hæreditatis, legati &c. Porro in *Extravag. ambitiosa.* non tantum prohibetur alienatio strictè, sed etiam late sumpta, seu prohibetur translatio cujuscunque juris. Delb. *c. 17. du. 5. n. 1.* Nunc in specie de permutatione, quæ est species alienationis strictè talis, & dein de speciebus alienationis minùs strictè talis in particulari, qualiter per eas prohibuitur aut permissum alienari res ecclesiasticas, intellige, sine solennitate juris.

Quest. 143. *An & qualiter per permutationem alienari possint res ecclesiasticæ?*

Resp. Res ecclesiasticas etiam cum rebus secularibus inter ecclesiam & alium saecularem permutari posse, sed non sine solennitatibus juris, constat ex *c. 1. de his quæ sunt à Prælato.* & communi DD. his non obstante *Reg. 5. juris in 6. semel dicatum Deo non est ad usus humanos ulterius transferendum* ; cum per *ro Deo dicatum* intelligatur consecratum, qualiter agri & prædia ad Ecclesiam spectantia non sunt hoc ipso specialiter Deo consecrata, adeoque adhuc permutari possunt. Sed neque sine solennitate fieri potest permutatio inter ecclesias duas ; cum *c. 12. q. 1.* & per citata jura eodem modo prohibeatur sicut venditio & donatio, quæ etiam inter ecclesias fieri nequeunt sine solennitatibus juris, puta tractatu & consensu Capituli, Superioris seu Prælati & Papæ. Et sic aliter permutari nequit V. g. Calix cum alio ornamento, ager unius ecclesie cum agro alterius ecclesie. Ita cum communione docent Jo. And. Abb. Burr. Imol. *in c. 1. h. t. Berolius. l. 1. conf. 179. num. 3. Mantica. de tac. & ambig. contract. l. 25. tit. 6. num. 66. Gratian. discip. for. c. 674. num. 4. & 5. Filiuc. tr. 44. c. 2. vers. quod est. Lezan. v. alienatio. num. 12. Quarant. v. eod. num. 15. Rebuff. Redoan. Bonac. & alii, quos citat & sequitur Delb. *de immunit. eccl. c. 17. du. 13. num. 3. & seq.* contra Riccium, *in pr. decis. 38. Tervilan. decis. 56. p. 2. Bordon. in conf. regular. resol. 27. num. 61. Clarin. controuv. for. c. 18. num. 30. Pasqual. Tom. 2. decis. 95. Barbos. ... alleg. 95. num. 55.* & alios apud eund. Delb. *loc. cit.* qui*

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

tamen etiam horum AA. sententiam (maximè si permutatio fiat inter clericos vel regulares ejusdem ecclesie, monasterii, vel etiam religionis) probabilem dicit, quamvis etiam ex his AA. Riccius & Barbos. testentur, hodieum habere praxin, ut in tali permutatione adhibeantur eadem solennitates, quæ in venditione & donatione inter ecclesias. Contra hanc sententiam illud potissimum militare videtur, quòd in hac permutatione, quæ fit inter ecclesias, cesset ratio prohibitionis de rebus Ecclesie non alienandis, quæ juxta proccemium *Extravag. ambitiosa.* fuit ; ne res ecclesie ab ecclesia exeant, & profanis usibus applicentur. Verùm hoc ipsum satis dilui videtur à Delb. *l. c. n. 10. & seq.* dicendo, hanc non fuisse finalem causam prohibendi, sed solum impulsivam ; adeoque ea cessante, adhuc remanere causam finalem prohibendi alienationem, quæ fuit, ne per multiplicationem permutationum res paulatim consumerentur & deteriorentur ; quod locum adhuc habet in permutationibus factis inter ecclesias. Quod attinet textus aliquos, in quibus permitti videtur permutatio rerum ecclesiasticarum inter ecclesias, consentientibus tantum earum Prælati, respondet Delb. *l. c. n. 15.* correctos illos esse per textus alios, prohibentes eodem modo permutationem ac venditionem & donationem. De cetero, dum res spirituales, V. g. reliquiæ pertinentes ad privatos, sine solennitate permutari posse, habet Riccius. *ad tit. de permutat. n. 16.* ubi etiam cum Laym. & Pirh. notat, minorem causam requiri ad rem ecclesiasticam permutandam quam vendendam. & *n. 12.* quòd pœna statuta male alienantibus non incuratur, nisi permutatio actuali traditione rei mutæ sit completa. Porro quæ hic ulterius examinari poterant, præcipuè de beneficiorum permutatione, vide infra *ad tit. de permut. & apud me in for. benef. p. 3. à q. 315.*

Quest. 144. *An & qualiter bona ecclesiastica alienari possint per concessionem in feudum vel emphyteusim?*

Resp. Primò res seu bona ecclesiastica solita dari in feudum seu emphyteusim (sufficit autem ad hoc, ut solita dicantur dari, si semel sic data fuerint Clarus. *§. feudum. q. 13. num. 14. Molin. de just. tr. 2. d. 648. concl. 8. Delb. l. c. c. 17. du. 1. num. 36. Ruin. conf. 35. num. 30. l. 1. & Curtius junior apud Fagn. in c. ex parte num. 7.* qui duo posteriores dicunt, unam aliquam infudationem solenniter factam sufficere, quavis tanquam tutiorem, & minùs faventem alienationi rerum ecclesiasticarum, tenendam esse sententiam, quæ, ut res dicantur solita infudari, requirit, ut bis intra 40. annos fuerit data in feudum suadente utilitate, cum Imol. & Jason. apud Fagn. *l. c.* dicant alii) possunt de novo & deinceps concedi in feudum & emphyteusim à Prælato sine alia solennitate ad alienationem rei ecclesiasticæ alijs requisita. Quia talia bona consuetæ dari in feudum seu emphyteusim non sunt ampliùs de mensa Ecclesie, utpote quæ non habet dominium utile eorum, ut Fagn. *c. 2. de feudis n. 9.* & talis concessio non est nova alienatio sed prioris alienationis continuatio seu renovatio (res autem ecclesie semel alienata cum debita solennitate est semper alienabilis sine solennitate) si tamen adsint solennitates, de quibus mox ut Gonz.